

Werner von Harthausen

De. 94.

10.

LYCAON AD
TARTARVM DAM-
NATVS.

Dialogi tres.

PSAL. 9.
Impij præcipitabuntur ad Infernum,
& omnes qui obliuiscuntur Dei.

ANNO

M. D. XLII.

LYCÆON AD
TARTARUM
NATVRE

Dialogus

1714
Lycæon ad Tartarum
Naturæ

1714

n
b
c
E
d
n
H
c
c
in
ro
q
tr
p



LYCAON AD TAR-

TARVM DAMNATVS.

INTERLOCVTORES.

Megera. Thesiphone. Minos,
Charon. Lycaon.

PER Stigem iuro nihil iamdiu vidi
festiuius, oh risu emorior. THES.
Necesse est aliquid mali accidisse,
cuius causa hæc ridet. Nam ridere
non solemus Furtæ, nisi quid accidat lachrimas
bile. Sed heus Megera quo properas? Quid cas
chinnaris? MEG. Ego ne, quid ni rideam?
Bulus nobis in fauces obrigit, qui nos aliquan-
diu, vt spero, exaturabit, hui Charontem stre-
nuum, vix risu possum effari. Iam ad. THES.
Hem quid ad, perge tamen. MEG. Iam ad Co-
cicum cum deambularem, eiulatum vndicq; spe-
cibus ac rupibus personantibus, ex improviso
ingens animarum multitudo confluit in litore,
rogo qui essent, respondetur, Principem esse
quendam cum famulatio, eum cupere fluiuium
trañcere, continuo adest Charon, & more suo
priusquam in nauiculam recipit, poscit naulam,
A ij , vno

DIALOGVS PRIMVS.

vno ore omnes negant, exigit hic importunius,
ac stomachabundus minatur illis Plutonis in-
clementiam. Tum vnus reliquis paulo statura
procerior, quadrato corpore, facie oblonga &
crassa, oculis liuentibus, & ad terram deiectis sus-
percilijs, genis ac maxillis pendulis, ac quasi li-
uore perfluentibus, cæterum colore totus luris-
do, posteaquam multis protestatus esset, circum-
stantes sibi ab officijs esse, se vero Principem
antiquo foedere cum Plutone coniunctum esse,
contumeliose poscit traiectum, vel ex merito
sibi debitum. Obijcit Charon consuetudinem
& hoc pretij sibi deberi etiam a Monarchis, Re-
gibus & Episcopis adfirmat, recipit tamen Prin-
cipem, relicto in littore famulatio, vt ille coram
Plutoni quis sit, aperiat. THES. Miram Char-
rontis auaritiam, Sed adhuc nihil mali, quod
risu dignum esset, audio. MEG. Audi porro,
cur risu pene difflexerim. Dum nauæ officium
peragit Charon, ille qui Principem se dixerat,
subdole ac per causam, seponit in tabulata tibi-
am, in quam nigrum & ardentem funiculum in-
cluserat, in hunc vsu, vt post aliquot horas,
se iam elapso, puluis accenderetur, & præberet
nauiculæ incendium. THES. O nostrum arti-
ficem

DIALOGVS PRIMVS.

ficem. MEG. Sentit Senior dolum, cumq; lit-
tus attigisset, inuento & explicato fasciculo, ar-
tem ac insidias deprehendit, ignem Principi
colapho immittit in faciem. Hic e contra ad des-
fensionem se parat. Vidisses pugnam egregiam,
pugnat aperto pectore Charon, licet senior, hic
insidijs & fraude, pugna anceps ad duas fere
horas, tandem ille profligitur, victor triumphat
Charon, Sed ecce venit Minos, hui citato gras-
du. MEG. Inquiri credo de Principe. THES.
Magna certe stipatus est & egregia dæmonum
corona. MINOS. Hem vos istuc Furiaë sustite
mihi nouum illum qui hic tumultuatus est hos-
pitem. Age Charon, hic ne est ille furcifer.
CHA. Est domine. MIN. Tu quis es? cedo,
hem taces? os durum, Quis es inquam? LY-
CAON. Ego sum MI. Quis nam? cæde illum
loris ac anguibus Megæra, effuciet aliquid. LY.
hoi, hoi. MIN. Eho quis tandem? LYC. Sum
Princeps. MIN. Nomen? LYC. Nomen Lya-
caon. MI. Princeps Lycaon, nōminis memini.
LY. Male me habet Minos, adeo me ignotū hic
videri, cum mihi vetus ius ac hospiciū cum
plerisq; non infimæ conditionis dæmonijs inter-
cedat. MIN. Tu ne ille Lycaon Lycoperanus.

A iij

LYC.

DIALOGVS PRIMVS.

LYC. Is sum. MIN. Qui iam aliquot annos
meruisti stipendia sub Plutone Imperatore no-
stro. LYC. Sum. MIN. Qui fratrem tuum cō-
tra ius, phasq; tot annos tenuisti in vinculis, ut
vnus principatum teneres? LYC. Sum. MIN.
Qui matrem honestam matronam, tuis flagiens
ad mortem adegisti? LYC. Sum. MIN. Qui
puellam, summo loco natam, e Gineceo per
fraudem abductam, neglecta vxoris consuetu-
dine, per vim violasti, mentito interim ac facti-
cio celebrato funere, quasi illa e viuis excels-
sisset? LYC. Sum. MIN. Qui accepta a Tyrani-
nis, qui verbum Dei extinctum volunt, pecu-
nia, conduxisti incendiarios, vt ignem vrbibus
ac pagis inijcerent? LYC. Sum. MIN. Nota ti-
bi est Embecca? LYC. Fuit. MEG. Optime di-
cit, nam eius consilio esse desit. MIN. Tu ne il-
le, qui iam aliquot annos somniasti tibi Tribu-
niam potestatem, qui ducturum te exercitum
sperasti in eos, qui Christi, Fabri illius lignarij
Euangelium profitentur, quos Lutheranos vos
catis. LYCA. Ego is sum. MIN. Bene habet,
Plura nunc interrogandi causa non succurrunt.
Sed male functus es tuo officio, conciliaisti tibi
ingens odium Plutonis. LYC. Non spero. MI.
Sic est

DIALOGVS PRIMVS.

Sic est. LYC. Fœci quod potui. MIN. Fecisses quod debebas, minus nunc laborares, ac melius fortassis haberes. Fefellit te tua opinio, fefellit spes & imaginatio, dum plus tribuis tuæ industriæ quam sapientiæ Plutonis domini nostri, dum tua temeritate anteuertere vis nostra consilia, nec intelligis rem tibi caute ac circumspecte perficiendam esse, non modo properando nimium serius absoluis, nec propositum euentum adsequeris, Sed nos omnes tecum apud Superos in discrimen adducis. Quare scias tibi malam, in nostra aula, esse partam gratiam, Sed huic qua de causa noluisti nauulum soluere LY. Non habui. Nam nos omnes comprehensi, & in palis positi, simul cum amictu & pera vitam exuimus. MIN. Qua malitia vero voluisti nauum incendere? LYC. Da veniam, naturam non potui tegere, cum irritasset me iste, Et nostri illud, Naturam expellas furca tamen usque recurrit. MEG. Doctus est, puto illum præceptorum rem domi habuisse Rhetorẽ, adeo in loco citat sententias. MI. Docte allegas, Sed an hæc tua facundia ad reditum tibi cum Plutone in gratiam profutura sit ipse videris, Ego mandata habeo vt te quadrupedem constringam, Cede

A iij manus

DIALOGVS PRIMVS.

manus, Vos Lorarij pedes constringite, atq;
vinctum in Caminum proximum sulphure &
oleo feruentem pubetenus sistite, tantisper dum
quid porro sit faciendum, mandato Plutonis
edocti fuerimus, Iam hinc eo, vt illi rem ordine
exponam. LYC. Expecta Minos. MIN. Non
audio. MIN. Expecta mi pater. MIN. Quid
rei est? LYC. Oro te mi pater, siquidem nunc
tandem agnosco me in vos peccasse, qui putas
bam omnia me in gratiam vestram perpetrare,
Oro inquam per ignitas sulphureasq; hinc inde
officinas Tartari, per omnes manium fremitans
tium poenas, per illa humana corpora, per ani
mas etiam, si quas per incendia, vt spero, ab
sumpsimus, vt intercedas pro me apud Pluto
nem, me in clientelam tuam suscipias, meam
causam agas, Si quid erraui, nimio amore ves
stri, nimio placendi studio factum est, obsecro
excusa me. MIN. Si quid excusabit te apud nos
certe amor hic tuus erga nos, & obseruantia po
terunt, Ego tamen & meam diligentiam adhi
bebo scilicet. LYC. Merito te æternum amo,
Sed & hoc precor, illos quos in littore reliqui,
præsertim magnum illum meum præfectum
Lycoperanum, ac fidelissimum facundissimūq;
meum

DIALOGVS PRIMVS.

meum Cancellarium, Præterea & præceptores
vtriusq; nostros, qui nobis consilijs suis semper
præsto fuerunt, Quorum alter adfessor fuit
Cameræ Imperatoriæ, adeo vestro numine ad-
flatus, adeo vobis deditus atq; addictus, vt nec
Deum nec homines curaret vnquam, omnia
iura perturbaret, leges figens atq; refigens, quo
vobis duntaxat gratum faceret, alter eo dignis-
tatis peruenerat, vt vice Cancellarium Imperij
ageret, Sed ob perfidiam & ingentia flagitia a-
lia, amotus ab officio, cum summo dedecore
coactus est se subducere. Illum BRUNUM, hunc
HELTUM, uocant. Illos inquam obsecro iubeas
etiã a Charonte transferri, Anguntur enim
& excruciantur maiorem in modum, id quod
ex eiulatu eorum intelligo MIN. Abi Charon
trañce & illos, Sed quodnam (infandum) nu-
men tanto radiorum splendore in has cauernas
superne delabitur? Hem Genius est, quem bo-
num illi vocant, qui superis quam nobis sunt
æquiores, mirum, mirum, quid velit, Nam is
quando ad nos legatione fungitur, nihil adfert
coelitus, quod e re nostra sit, totus tremo hor-
reoq; postquam aspexi hunc.

A ♡ PLVTO

DIALOGVS SECVNDVS.
PLVTO, MINOS, LYCAON, GENIVS,
Brunus, Heltus & Cancellarius.

EST ita quidem, vt dicis, Minos, nec nos
Eimus inficias, quod illi tametsi nobis ab of-
ficio esset, non irati modo, sed etiam maxime
infensi fuerimus, quam quidem in nobis offen-
sionem concitauit in eo temeritas, ac singularis
cuiusdam industriæ contra nostram voluntas-
tem inanis præsumptio ac persuasio. Si enim
res gessisset ex nostro instituto ac voluntate, ma-
gis recte ac caute, nec propria sapientia, qua tas-
men nulla vnq̃ fuit fretus, nobis hanc palmam
præripere conatus fuisset, non esset dubium,
quin vniuersa Germania partim mortalium
sanguine nataret, partim incendijs vastata, illam
quam volebamus ruïnã traheret. Quanquam
& gratum & iucundum nobis debet accidere,
siquid etiam hac temeritate nobis præstitit.

MIN. Vel iure iurando audet adfirmare, se as-
more tantum erga nos ac placendi studio er-
rasse, nulla adfectione tui imperij. PLVTO.
Iure iurando mihi nihil persuadebit, qui mens-
daci pater & sum, & esse ac dici volo. Præterea
ius iurandum facere nobis non debet, cui nihil
vnquam

DIALOGVS SECVNDVS.

vnquam cum illo, quem fontem ac autorem
Iusticiæ vocant, noticiæ intercessit. Et nobis
tanto charior esse debet, quanto a cognitione iu-
sticiæ est remotior, non odij illum erga nos, sed
temeritatis accusamus. LYC O infelicem me, O
perpetuo perditum, O miserum me, O æternis
cruciatibus expositum. Ah spem fortunamq;
præter opinionem falsam. O seuera inferorum
numina. Quis vnquam mihi persuasisset, fore,
vt vester in me amor vnquam immutaretur?
quibus adeo addictus fui, vt vitam animamq;
vltro obtulerim, a vobis omnia mihi pollicitus
fuerim, quæ ad euertendam Christi illius glori-
am factura viderentur. Hæc ne præmia redditis
militi vestro? Siccine tractatis illum, qui sum-
ma diligentia ac opera, non modo ampliare ac
extendere regnum vestrum conatus est, Sed eti-
am coelum ipsum oppugnare vestra causa non
fuisse veritus. Parcius subiicite olei crepitantis
flammas, o Furia, si vnquam flammam ac incen-
dia amauit, Si primus docui vrbibus ac pagis ar-
tificio ignes ponere. Sed o Romane Pontifex, o
periuri Episcopi, hæc ne præmia fero meæ in-
dustriæ, & erga vos fiducia: ideo ne tot noctes
dieq; equitando, vigilando, cursitando con-
sumpsi?

DIALOGVS SECVNDVS. j

sumpsi: Iccirco ne omnes neruos extendens om-
nem lapidem moui, omnes vias adortus sum,
omnes technas fraudesq; vestro iussu, vestro no-
mine perdidici: vt flammis his crudelibus im-
positus æternis doloribus excrucier atq; angar.
Heu vbi nunc qui primas tenebas inter reliqs,
quorum consilia secutus sum, vbi nunc es Py-
robulæ, Qui adhortationibus tam sanctis, ac
præmijs magnificis me inuitasti, qui consilijs
ac præceptis me instruxisti, vt Lutheranorū po-
tentiam infringere, qui vt cauerem mihi ab il-
lis, tua prudentia edocuiisti, heu cur nihil vnq;
de euentu admonuisti? At tu Pluto inuictissi-
me Imperator noster, cuius ex mandato stipen-
dijs adfecerunt me Episcopi, obsecro tracta me
miserum clementius, miserere tui mancipij.
MIN. Audis ne Pluto ad te suppliciter vocife-
rantem, ac præ dolore ringentem Lycaona?
PLVT. Audio MIN. Dignus videretur venia.
Scirent si ignoscere Manes, cum pro propa-
tione tui Imperij tantopere laborauerit. PLVT.
Verum dicis. Et eo, vt supra dixi, a nobis quisq;
magis amari debet, quo omni flagitiorū genere
contraminatus, propius ad naturam nostram ac-
cesserit. Et æquum quidem erat, vt illum nobis
adeo

DIALOGVS SECVNDVS.

adeo coniunctum in ordinem Demoniorum
nostrorum cooptaremus, vt & fortiore animo
per omnes poenas grassari possit, & alios pro li-
bidine excrucianti potestatem haberet, Sed quia
parere illi cogimur, quem odimus semper dum
metuimus, qui & nobis est potentior, & nihil
impunitum relinquit, quod in gratiam nostram
& suam contumeliam videt fieri, Et quia muta-
re etiam nos nostram naturam non possumus,
quæ cum primis delectatur ac pascitur suppli-
cis ac cruciatibus mortalium, laxare quidem illi
poenas, si vis, poteris, remittere nullo modo de-
bes. GEN. Neq; aliter vobis facere licitum est,
æterni damnati spiritus, quam Deum, a cuius
potestate pendent omnia, expauescere, eumque
dominum agnoscere ac trepidare, poenis, quate-
nus a Deo vobis concessum est, fontes adficere,
ab insontibus vero & pijs omnino abstinere.
MIN. Heu metui hoc futurum, nam illum iam
dudum magna luce per angustias Tartari des-
cendentem vidi Pluto. PLVT. Male mihi est,
quin hinc aufugimus? GEN. Per maiestatem ac
potentiam illius, qui est omnia in omnibus, edi-
co vobis impurissimi Spiritus, ne latum pedem
hinc. Iam & fremitus omnium sedari, & silen-
tium

DIALOGVS SECVNDVS.

tium a vobis præstari volo. Deportatus est ad vos nuper degener quidam ex mortalium numero princeps, Lycaon nomine, Ille posteaq; se vobis totum dedit atq; addixit, quid scelerum ac flagitiorum in viuis exercuerit, nemini vestrum obscurum est, quorum consilio ac instinctu nihil recusauit facere, quod ad obscurandam veri Dei noticiam ac gloriam pertinere visum est. Homicidia, adulteria, stupra, furta, rapinas, periuria, fraudes, q; enumeret: hoc vno artificio omnium temporū maliciam ac impietatem superauit, quod vt extirparentur qui **CHRISTVM** mortalium liberatorem agnoscunt, noua & inaudita prius ratione incendiarios subornauit, Qui urbibus ac pagis ignes ponentes, neutri sexui parcentes, cum domicilijs opibusq; totas familias flammis absumerent. Quoniam autem oratio piorum nubes, & fumina coeli templa penetrans, impetrauit a Domino, vt præter opinionem suam impius ille e visuis raperetur in profunditatem inferni, missus ego a Deo opt. max. q; solus Dominus est coeli & inferni, qui iniquitatē punit, & pietatem præmijs adficit, eius verbis mando vobis & edico, vt pro magnitudine scelerum ac flagitiorum
Lycaonem

DIALOGVS SECVNDVS.

Lycaonem ad iusta & æterna supplicia condemnatis. MIN. Ne seuias tantopere rogamus, habet hic suas exceptiones. GEN. Quas, malum, mihi exceptiones dicis? MIN. Habet Iurisperitos & Rhetores, illos interroga. BRVNVS. Adsum. GEN. Apud Deum nulla iuris valet actio, qui supra omne ius ac leges est. BRVNVS. Dicam quod vras, Eho tu, quo pacto in Deum tuum peccare potest, qui ne nomen quidem eius nouit, nam hic ab ineunte etate præter Plutonium neminem agnouit mundi principem. MIN. Hem frivolum hoc. Nauseo. BRVNVS. Porro. Quoniam suum ille habet Imperium diuersum a Plutonis nostri Imperatoris dominio, qui sub eius iurisdictione sunt vtantur eius iure. Quare tibi non est concessum hic sententiam dicere. Accusare potes si quid commisit Lycaonem, condemnare tibi phas non est, nam reus non debet ab extraneo, sed ordinario & competente iudice puniri, c. At si clerici. De iudicijs.

Iam si est ille Deus tuus adeo circumspectus ac prouidus, vt omnia facta & futura sciat, vt a nemine falli possit, cur a Lycaone sibi non cauit antea, an nescit, volenti non fieri iniuriam, c. Scienti, De regulis iuris in sexto.

DIALOGVS SECVNDVS.

Nam dum tacet consentire in iniuriam videtur. L.

HELT. Missa faciamus hæc, ex ratione ipsa disputabimus. Primum quandoquidem Lycaon vidit omnia transire sine certa ratione ac ordine alios ad summas dignitates efferrî, alios ad extremam paupertatem redigi ac demergi, illos impune omnia flagitia exercere, hos sua pietate infamiam ac damnum subire, nihilque certi esse in omni vitæ genere, homines denique quos ad vnius Dei imaginem conditos esse somniant, pro se quemque suam religionem, diuersas sectas, diuersos Deos amplecti ac colere, hinc adductus est vt nobiscum crederet, omnia fato aut casu regi potius quam vnius mentis consilio. Quod si esset illa vnica & æterna mens, quam vos adeo suauiter somniatis, si semper illa sibi constaret, Dic age qua ratione tolerare posset hanc omnium rerum vicissitudinem ac dissensionem. Porro quia audierat a paruulis, et sæpenumero in somnis etiam viderat, esse locum quendam apud inferos quem campum Elysium vocarent destinatum ijs, qui per erumnas ac labores vitæ audacter ac fortiter euasissent, semper in id frustruit, vt quos illic certo esse cognouerat, illis quam

DIALOGVS SECVNDVS.

quam simillimus redderetur. Itaq; postquam agnouit Plutonem hunc, verum mundi principem, quem honoris causa nomino, eiusq; favore re perueniri ad Elysium didicisset, omnem curam ac studium in eius gratiam contulit, vt ex misera ac incerta vitæ conditione, in sempiternam illam societatem reciperetur. Quare cum nec officio, nec vlla alia re Deo tuo fuerit coniunctus, accusari forsitan ab illo poterat, condemnari nullo iure debet. MIN. Laudo te, ac virum iudico, hui noster es, diserte dicis. CAN. Commemoras tu homicidia, adulteria, stupra, raptus virginum, Quasi vero non alij Heroes iisdem vicijis, (si sunt adpellanda tamen vicia cū in Heroes cadunt) subiecti fuerint. Quasi vero non maxime ad fines sint illis, quicunq; ab hominum natura non sunt alieni. Nam de vobis qui Deorum appellationem vobis vsurpatis, quales sitis nunquam potui cognoscere, iam coedo inquam, quid Iulius, quid Augustus, quid Alexander ille, qui a rerum gestarum magnitudine, magni cognomen adeptus est, Nonne illi Heroes, nonne ab omni posteritate vsq; ad hæc tempora honorificam memoriam promeruerunt? At illi duo, quot illustres foss

B minas

DIALOGVS SECVNDVS.

minas ad stupra, & adulteria corruptionibus pellexerunt? Hic etiam, vt de libidine nihil dicam, adeo cruoris, (id quod Heroici animi est) ficiens fuit, vt ab amicis intimis inter pocula violentas manus non abstineret. Quid Achille, quid Hercule omni scriptorum genere celebratius? At ille Briseidam & Diomedam Phorbantis filiam, Hic Pyrenen & Augen ad concubitum rapuit. Addis furta, rapinas, sacrilegia, fraudes. Quasi vero extra illa imperium administrari possit, nec vbiq; exempla sint obuia. Multa fortiter ac preclare gessit Arfaces, Parthorum Rex, quem tamen furibus ac latronibus doctorem precepta dedisse memorant historiæ. Nonne & magnificus Rex Amasis? nec ille temere erubuit circumeundo etiam alijs furari. Expilauit prouincias Nero, Despoliauit in vrbe templa, per Asiam & Achaiam etiam simulachra numinum ornamentorum causa abripuit. Idem fecit Siciliae ille rex formidabilis Dionisius, & quem illi comparat Cicero, C. Verres. At quanti viri? & quonon ore posteritatis memoriae comendati. Porro ad fraudulentiam quod attinet, Quis ideo Pistratum, Sertorium, & Vlysem & sexcentos alios, viros summos fuisse neget? quorum famam
nulla

DIALOGVS SECVNDVS.

nulla vnquam abolebit obliuio. Quod si illi, ut credimus, cōsecuti sunt ut in campo Elysio æterna Heroum societate fruantur, quæ tandem inuidia est, onerare hunc nouis supplicijs, qui nullo eorum quos memorauit rebus gestis fuit inferior? Quæ iniusticia est hunc corā suo iudice externi iudicis sententia damnare? GEN. Qui ex Sathana est, loquitur ea quæ arrident Sathanæ. At ego vobis edico, progenies viperarum, ut linguam cohibeatis, neq; verbum amplius. Iam in foribus est virtutum vestrarum retaliatio, dabitur dignum talibus canibus pabulū. Sed vos quid moras nectitis inferorum Lorarij? Quid autem cessatis Iudices? Ne vobis magno malo erit hæc cunctatio, si præstolamini ut vobis omnipotentis mandata retexam. Quin sceleratum illum cum Consiliarijs suis adduci curate, in ius rapite, sententiam pronunciate, & ad sempiterna supplicia abiudicate. Heu quam miserrima est naturæ corruptæ conditio, Naturali morbo ad omne genus scelerum ac flagitiorum promptissimi sunt isti, nec omissuri erant etiamsi mandati nihil accepissent, quin in hunc quantumuis omni impietatis genere ipsis coniunctum, summam crudelitatem ac seueritatem exercerent, quia vero ita

B ij

iussi

DIALOGVS TERTIVS.

iussi sunt facere, dum resistere diuinis mandatis non possunt, tergiuersari conantur. Sed ita res habet, malus animus vbi liber est, ibi excellit, cū autoritate regitur, etiamsi nocendi cupidissimus sit, tamen ea ratione ac via progreditur, quæ sibi potissimum arridet.

DIALOGVS TERTIVS.

ALECTO, MEGERA, MINOS, PLVTO,
Radamanthus, Licor, Tortor, Lycaon,
Genius, Aeacus.

IN neruum eant Dii Deæq; omnes cum caluo
lusto ac edentulo silicernio, nam quid hic causæ,
quid iuris habet? quamobrem vero adeo
hic tumultuatur, & tantas impune turbas con-
citat? Commouit totum Tartarum. Nunquam
auditus tantus vmbrearum fremitus, nunquam
adeo implacabilis tumultus manium fuit. Ac-
currunt ex omnibus inferni regionibus agmi-
natim, & illi quidem, quorum mille annis ne-
mo quisquam prodijt, Tumultuantur, vocife-
rantur, fremunt, perstrepunt. Hæc omnia mi-
rum quam in partem interpretanda sint, nisi in-
gentem

DIALOGVS TERTIVS.

gentem aliquam seditionem portendunt. ME.
Nihil mirum, stomachum nobis mouere hanc
vmbrearum insolentiam, quæ cum audiant ma-
gistratum nostrum huic despectui esse, quem
Silicernium tu vocas, eo temeritatis deueniunt,
vt nihil non sibi licere hoc præsentē arbitrentur.
ALEC Quid igitur rei est? MEG. Longum es-
set recitare, Genium hic se vocat, nescio cuius
Dei ministrum, Lycaonem quendam, quia ex
mandato Regis nostri nonnihil damni intulit
Superis, ad grauissima supplicia damnari ius-
bet. Iam satis verbosa & philosophica inter ip-
sos fuit disceptatio, vrget tamen ille ac cogit.
Itaq; coactus Pluto, senatores vocauit, habitus
est senatus, poena illi irrogata ex Genij senten-
tia. Iam in proxima ad læuam Plutonis ignita
basilica locus destinatus est dicendæ sententiæ,
positum est iudici tribunal, locata scabinis sub-
sellia, tum Minos ablegatus, vt e carcere addu-
ctum reum sistat. Sed concede huc, vides ne ad-
ducentem Minoem manipulum reorum? ñ fue-
runt aulici & consiliarij Lycaonis. ALEC. Vi-
deo. Sed quis ille est, qui medius incedit inter
Minois Satellites fumo ac flammis vix conspi-
cuos? MEG. Ille ipse est Lycaon. ALECT. Per
B iij angues

DIALOGVS TERTIVS.

angues meos, perpulcher est, statura, incessus, vultus, totus heroicus est. At cur non est vincetus vt reliqui. MEG. Habet prærogatiuam, princeps est. ALEC. Cur vultum in terram desiectum nunquam erigit, an diffidit suæ causæ? ME. Non arbitror, satis enim alioqui confidens esse dicitur. Sed puto illum modestiæ causa oculos non attollere, aut certe consilium secum inire, cogitatione complectentem rationem ac argumenta suæ defensionis, audio enim eum & sapientem esse, & facundum, vt a suis sæpe etiam cum Vlysse sit comparatus. MIN. Ohe. Vnde hæc umbrarum insolens frequentia, arce te manus Furia, cedite, date locum Iudicio, fremitum compescite. PLVT. Parata iam sunt omnia, hem venit Minos. Vos isthic Scabinè confidite. Radamante Tribunal occupa. RA. Heus Mycrophilegon sceptrum hoc ter in palude Stygio tingito, Et asphalto ignito obdusctum mihi actutum reddito. MEG. Quanto impetu irruunt in Basilicam. Sed hic præ fumo illos contemplari non possum, Quid stamus, cur non recta & nos introimus? Sed parum abest, quin post festum veniamus, iam bis exclamauit licitor. LICIT. Radamante, iudex iudicium

DIALOGVS TERTIVS.

eum sæuissime, licet ne pace tua exclamare ter-
tio. RAD. Phas sit. LICIT. Exclamo Lycao-
nem Lycoperanum, Incendiarium, hostem ac
vastatorem patriæ, publicæ tranquillitatis vis-
olatore, homicidam, sacrilegum, stupratorem
viuentium ac mortuarum virginum, reum a-
dulterij, reum incestus, falsarium, perfidum,
latronem, calumniatorem, Dei opt. maximi,
contemptorem. RA. Quid tu Lycaon? LYC.
Fateor omnia me patrasse, & libuit. Equidem
non dubitavi hactenus omnia mea facinora vo-
bis accepta & grata futura, quæ summo studio
diligentiaq; vestro iussu ac nomine patraui, &
iuro per hoc tuum sceptrum, per hæc subsellia,
per crepita teslas ubiq; flammis, obseruande
Pluto, me in tui gratiam nihil omisisse vnq;
quod ad obscurandam Dei istius gloriam, quem
supra nos esse ferunt, & ad vastationem huma-
næ societatis pertinere mihi visum est. Et sicut
Xerxes Neptuno solitus erat vincula minari, &
Soli tenebras, vt sæpe quidem ex Oratoribus
meis me audire memini, Ita & ego (quisquis tan-
dem ille est Deus) ipsi, & omnibus quos illi ad-
dictos esse intellexi, imprecatus, & pro mea vi-
rili etiam molitus sum extremum exitium, Por-

DIALOGVS TERTIVS.

ro, quemadmodum aiunt Caligulam, illum Romanum, peculiare Imperij tui ornamentum ac decus, imprecatum fuisse vniuerso populo Romano vnā ceruicem, quo vno ictu expeditius abscindi possit, Ita mihi semper in votis fuit, vno impetu Lutheranos e medio tollere, qui Imperium tuum auersantes, nescio quam cœlestem doctrinam profiteri se, ac colere gloriantur, maxima dignitatis tuę iactura, ac nominis contemptu. Itaq; non mediocri gaudio adfectus sum, cum primum sentirem mihi tuo instinctu immitti Enthusiasmum illum, qui me ad excogitandum pulcherrimum ac iucundissimum illud, vrbes, oppida & pagos in cineres vertendi, artificium, incendit atq; impulit. Nec quidquam doleo vehementius, quam me imatura morte præuentum, illud pensum quod bonis auibus ceperam, non potuisse absoluere.

Quæ cum ita sint, non putaram, vt paucis dicam O Pluto, meum studium, curam ac fidem, tam leui momento apud te pendere, vt patiaris me his modis tractari. Multorum sermonibus accipi antea, omnia apud inferos, quocunq; te veritas, igne, bitumine, ac sulphure flagrari, putauitamen omnes mutari in Satanas, qui tibi in officio

cñs

DIALOGVS TERTIVS.

cñs fidem præstitissent, nec sentire nec dolere quidpiam. Sperauicq; vt & ego glorificatus a te, & in ordinem tuorum coaptatus, per omnes pœnarum carceres, per flammæ æstusq; versarer. Nunc vero ad pedes tuos deuolutus, o mundi inuicte princeps, precor, obtestor & obsecro, vt iubeas me tractari clementius. GEN. Te vero Pluto, volo ac iubeo curare vt dicatur sententia. Quid cessas? PLVT. Siquidem ita vis. Rada- mante, tenes qd tuum officium postulet. RAD. Quandoquidem Lycaon istorum scelerum, qre nomine tibi actio intenditur, reum te esse apud Superos in Scalis Gemonijs, & hic publice iam aliquocies confessus es, coacti nos inferorum iudices, tum atrocitate tuor; criminum, tum mandato & iussu eius, cuius maiestatem inuiti trepidare cogimur, cum assessoribus nostræ Cameræ ac parlamenti deliberatione habita, sententiam diximus, ea quidem moderatione, qua vti erga nostros consueuimus, illam publice tibi recitari Genius iste iubet, eo vt ille ait consilio, vt omnes manes intelligant, tibi nec iniuriam fieri, nec vllum ius exceptionis contra nostrum Processum competere. Fauete linguis. Exemplum recitato Aeace, AEAC. Hæc est sententia, qua In-
B v ferorum

DIALOGVS TERTIVS.

ferorum iudices ex mandato Dei opt. max. cœli & terræ, atq; adeo vniuersi mundi atq; omnium Creaturarum Domini, ad Tartarum damnarunt Lycaonem Lycoperanum.

PRIMO. Quia ab ineunte adolescentia ab omni virtutum genere abhorrens, ad omnia scelerum ac flagitiorum genera docilem se præbuit, semperq; occasionem quæsiuit, vt communi patriæ magis dedecori, quam ornamento, magis detrimento q̄ commodo esset, omnemq; lapidem mouit, vt excitatis clandestinis seditionibus patriam in extremum periculum adduceret. Irrogamus illi hanc pœnam, vt coniectus in seditionis carcerem post vestibulum Tartari, per annum anguibus ac vermibus cibum de corpore præbeat, Spectantibus Sylla & Catilina, durisq; illum & amarulentis Sarcasmis exercentibus. Furnis, anguimumq; & vermium aceruos, singulis momentis super ingerentibus.

SECUNDO. Quia adeo inexpleto intemperantiæ ac libidinis morbo laborauit, vt sine discrimine se nullis non infimi ac summi generis mulierculis miscuisset, si rem faciendi in promptu potestas fuisset, Volumus, vt loco Titij, crudelibus nostris ac continua fame laborantibus vulturibus

DIALOGVS TERTIVS.

Vulturibus obiectus, corpus ac viscera, & illud libidinosum iecur corrodendum ac dilacerandū præbeat, quib. mandamus, ne illū momenti spatio intactum relinquunt, Sed continuīs dolorib. interdiu ac noctu adficiant, donec anni spatium elapsū fuerit. Porro, quantum quolibet die e membris extractum fuerit, tantundem singulis noctib. in poenam recrescet.

TERTIO. Quoniam fratrem suum præter culpam, præter phas iusq; tot annos in vinculis tenuit, eumq; vt solus principatum obtineret, quacumq; oblata occasione, vita se priuaturū fuisse fatetur, Volumus illum eo loco, vbi Cambyses ob eandem causam poenas dedit, anni spatio flammis facinus expiare.

QUARTO. Cum Tempia & Monasteria expilauerit, eorumq; bona, quæ conferri ad pios vsus debebant, ad animi libidinem exercendam conuerterit, cum Phlegia, Dionisio, ac Nerone, apud inferos exquisitis poenis, donec annus præterierit, excrucietur.

QUINTO. Cum constet illum certos quosdam ex Cæsareo conductu inter ipsas vias publicas sublato in vincula coniecisse, neciq; da eos in vallum Castellī cuiusdam contumulasse,
atq;

DIALOGVS TERTIVS.

atq; ita crimen læsæ maiestatis subiisse, præmia etiam quibusdam latronibus, vt Ducem Saxonix, & Landgrauium Hessiæ interficerent, proposuisse, ad suorum deniq; latrocinia studiose conuiuisse, Sisyphi labori alligabitur, vt saxum illud ingens ac reuolubile, toties in altissimi montis cacumen sursum voluendo adigat, quociens relapsum fuerit, urgente ac plagas inferente Sisypho, laboris inspectore, duorum annorū spatio.

SEXTO. Quia puellam natam ex nobili familia, cuius maioribus ob innumera beneficia plurimum debebat, in Ginæcium vxoris suæ receptam, deflorauit ac constuprauit, cum eam se loco filie habiturum sancte pollicitus esset, eamq; matrem aliquot liberorum, in Castello quorundam abditam ac custoditam, amicis ac propinquis mortuam esse, fictitio funere celebrato, persuadere ausus est, Statuimus, vt in latrina incestuosarum, quæ est ad Orci ostium, grauissimas incestuosorum poenas luat, insultantibus illi ac grauiora supplicia imprecantibus Cynira, Thyeste, Nycteo, & si qui sunt alij, qui tantum scelus in filias patrare ausi fuerunt.

SEPTIMO. Quoniam neglecta honestissime conjugis suæ cōsuetudine, multas honestas matronas sollicitauit ac corrupit, etsi dignus erat

DIALOGVS TERTIVS.

grauissimo supplicio, tamen Ioanne duodecimo pontifice Romano, qui in adulterio deprehensus & interfectus, apud nos perpetua dissentientia poenas luit, pro illo intercedente, propter reuerentiam quam semper habuit Romano Pontifici, poenam quidem mitigabimus, & volumus ut singulis diebus trium annorum spacio, tot oscula ferat dicti Pontificis podici, Quot tulisset Leonis Clementis & Pauli tertij pedibus, si aditum haberet.

OCTAVO. Quoniam se autorem profiteretur noui illius incendiarij artificij, seruilemque multitudinem expensis Episcoporum Romanensium catholicorum inuitata, artem incendiariam se docuisse gloriatur, ut per insidias aedibus ponerent ignitabula, quae certis horis praeter opinionem subita incendia mouerent, Quo factum est, ut eorum, qui Euangelium ac fidem saluificans rem profiterentur, non modo per multa oppida, pagi, saltus, Sed multa etiam milia hominum fumo ac flammis misere sint absorpta. Igitur statuimus ac seuerissime mandamus, Primo, ut auibus incendiarijs, bubonibus, ac Strygibus, quae ad Cocytum malorum omnium causa apud nos aluntur, abijciatur, quae diminutim ad uncis rostris concerptum in diuersos fornaces igne asphalto ac sulphure

DIALOGVS TERTIVS.

ac sulphure crepitantes distrahant ac dispergant, ut diuersa membra diuersis cruciatibus adficiantur, Deinde ex diuersis micis ac particulis rursus per Fabros nostros coadunato ac conglutinato corpore, in Acheronte Sanie, sulphure ac veneno turbido purgabitur, & mox in carcere huic rei destinato medius inter gelu acerrimū, & æstū ardentissimum locabitur, ut alterum latus continuis ardoribus æstuet, alterum perpetuis frigoribus algeat, fame insuper ac siti loco adsidui flagelli miserum & nulli miserandū torquentibus.

NONO. Quoniam Ducem Saxonie Electorem, & Landgrauium Hessie, honestissimos, iustissimos ac pientissimos principes, eo quod veram doctrinam Christianae fidei contra Tyrannorum Romanensium fremitum, adserunt ac conseruant, famosis libellis contra phas iuscum & euentis calumnijs pscindere, & publica ignominia adspargere & in odium Caesaris vocare immeritos conatus est, Volumus ut siti fameque ardentissima pressus, in Tantalii palude usque ad mentum confusus, & dulcissimis lectissimarum arborum fructibus obrutus, nec copiam habeat cōpescendi sitim, nec sedandi famem. Sed frustra querat aquas in aquis, & poma fugatia captet, in media copia inops, Hancque poenam volumus illi esse duorum annorum,

VNDECI-


DIALOGVS TERTIVS.

VNDECIMO. Quia Deum omnium rerū
conditorem ac conseruatorem, non modo non
curauit vnq̄ aut timuit, Sed etiam ignominia sæ
pe adfecit, ac pro ludibrio habuit, cuiusq̄ sanctū
ac saluificum verbum, & omnes qui illud p̄si-
tentur, abolere, excindere, & funditus extirpare
summo studio conatus est, Mandata habemus
irrefragabilia, vt illum his quas diximus pœnis,
feriatim adfectum, in imum Tartari carcerem de-
sectum, exquisitissimis pœnis adficiamus. Quod
quidem ita facturi, p̄scribimus, excommunicam⁹,
& ad omnia supplicia, publica et priuata, vtcunq̄
q̄ cogitari aut nominari possunt, illum con-
demnamus, omnibusq̄ nostris Demonijs, Fu-
rijs, Bestijs, cuiuscunq̄ status, generis, ætatis aut
figuræ sint, damnatum exponimus & obijcimus
illisq̄ potestatem damus, in illum sæuendi, de-
bachandi, furendi, quibuscunq̄ modis collibitū
fuerit, liberumq̄ vnicuiq̄ esse volumus, vt pro
sua libidine excogitet suppliciorum genera, quæ
existimet atrocitate & crudelitate longe excelle-
re, nec volumus, vt vnus momenti spatio pœ-
narū vlla fiat remissio in perpetuam ac sempiternam
continuationem temporum, Sic fiat. GEN.
Sic. LYC. Me miserum, nimis seuerè ac duriter
mecum ageretur, si hæc sententia firma haberetur ac

DIALOGVS TERTIVS.

tur ac rata. Ego tamen, dum spirare licet, sperare non desino, MIN. Heu, frustra speras, lata est sententia, q̄ factum est, infectum fieri nō potest. Sed vt pallefcit, deficit miser, terrore ac metu poenarū. GE. Non est qd̄ hoc metuas, Accedent illi adhuc quinq̄ sensus, vt plene, penitus ac crasse sentiat, suppliciorum vim ac vehementiam. Sed vbi sunt reliq̄? MIN. En adest magnus ille Præfectus Lycoperæ. Quid omnia eius scelera reperit tam maximus est nebulo, Incendiarijs fatetur se mercedem numerasse. At hī tres Oratores consilia se dedisse Lycaoni, & famosos libellos compilasse fatentur, puto illos etiam absoluendos, non futorio, sed tartareo atramento. Iniquum certe est, seruum meliore frui conditione q̄ dominum. RAD. Et illos faucibus vestris ppino Demones, vt illos excrucietis p̄ vestro pruritu ac libitu. Adeste Lorarij, rapite hinc cum Duce suo hæc Tartari mancipia, rapite, rapite, & mandatis nostris satisfacite. GEN. Ite maledicti, in æternam condemnationem, Nulla vobis vnq̄ sit a cruciatu & ploratu remissio, Ite maledicti. Sic omnes impij præcipitabuntur ad Infernum, & omnes qui obliuiscuntur Dei.

FINIS.



Jü 2144

(x 227 27-10)

1077 ME

